



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 117. Percußit serum Summi Sacerdotis. v. 47.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

## §. 117. Percussis seruum Summi Sacerdotis. v. 47.

Continuat historiam & narrat Euangelista, quid ex striatione gladiis  
secum sit & quid fecerit ille innominatus Christi amicus, nempe percus-  
serit seruum Summi Pontificis. Lucas dicit discipulos prius interrogasse num  
percutere deberent gladio, videntes impetum & turmatim irruere in se  
hostem verum innominatus hic amicus, scilicet Petrus, zelo iusto accensus  
pro sui vel Domini defensione & salutatione, non expectato Domini re-  
sponso percussit, & quidem servum Summi Sacerdotis, qui haud dubie  
ceteris petulantius & truculentius egreditur, nec sine mysterio Petrus inci-  
dit in servum Summi Pontificis, Deo omnia, dum permittit mala, dirigen-  
te hæc ipsa in magnum bonum quia enim S. Petrus futurus erat Pontifex,  
& vocandus pro Caiphias Cephas, ideo hene in male moratam familiam  
Summi Sacerdotis futurus Pontifex animaduertit, & eandem reformare  
incepit, ut Christus ipsemet reformaturus erat Iudaicum Pontificem. Ec-  
ce quomodo quæ secundum homines casu geruntur, apud Deum consilio  
non careant. Admirare, anima mea diuinam sapientiam & pietatem.

**O** Deus, scio quod in honore habendi sint Principes & eorum ministri,  
& maxime Sacerdotes tui, & eorum quoque ministri, scio etiam  
quod ministri egrundem subinde abutantur suorum Dominorum nomine  
& autoritate, ne igitur unquam aliquid eis incommodi accidat, ne  
Principes in eis lardantur, obsecro Domine, da eis spiritum sanctum, ne  
quicquam agant, quod non sit iustum, prudens & benignum.

## §. 118. Et amputauit illi auriculam. v. 47.

Effectus extracti gladii & percussionis fuit, auriculae solius abscissio,  
pro capitis totius amputatione vel diffissione, quod factum est ex disposi-  
tione diuina: nam merito Pontifex Ecclesiae Petrus abscidit aurem, obedi-  
entiæ Symbolum à Iudaico ministro; qui aures habens, quibus audire de-  
bebat, pro auribus incepit ut manibus. Otiosam igitur partem Petrus ab-  
scidit, dum aurem amputauit, ad aurem enim pertinet obedientia, sicut  
Psal. ait: In auditu auris obediuit mihi: Agnosco nihilominus præposterum in  
Petro agendi modum, qui nuper vigilare iussus, dormiebat, nunc iniussus,  
vigilanter cœdit. Ita fit, prò dolor, nitimus in vetitum semper cupimusque  
negata.

**D**eus meus, sapientia tua reguntur vniuersa, quicquid tandem patiuntur  
mali peccatores inuiti, apud te Deus, habet luculentissimam causam, &  
quicquid boni agunt tui amici & iusti, apud te Deus habet fontem, neque  
tam inopinatos efficiunt casus Homines, per quos tua diuina prouidentia.